UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Secunda secundae Summa Theologiae

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

11 vtrum actus iustitię sit reddere vnicuique quod suum est.

urn:nbn:de:hbz:466:1-72772

Visual Library

hoc medium rei, eſt etiam medium rationis: & ideo in iuſtitia ſaluatur ratio uirtutis moralis.

Ad secvndvm dicendum, quòd bonum ſimpliciter dicitur uno modo, quod eſt omnibus modis bonū, ſicut virtutes ſunt bonæ: & ſic in his quæ ſunt bona ſimpliciter, non eſt accipere medium, & extrema. Alio modo dicitur aliquid ſimpliciter bonum, quia eſt abſolute bonum. ſ. ſecundum ſuam naturam conſideratum: quãuis per abuſum poſſit fieri malum, ſicut patet de diuitiis, & honoribus. Et in talibus põt accipi ſuperfluum diminutum, & mediũ quantũ ad hoĩes, qui poſſunt eis uti uel bene, uel male. Et ſic circa ſimpliciter bona dicitur eſſe iuſtitia.

Ad tertivm dicẽdũ, ꝙ iniuria illata aliã proportionem habet ad principem, & aliam ad perſonam priuatam. Et ideo oportet aliter adæquare utrãque iniuriam per uindictam: quod pertinet ad diuerſitatem rei, & non ſolum ad diuerſitatem rationis.

Articvlvs XI.

Vtrum actus iuſtitiæ ſit reddere unicuique quod ſuum eſt.

Advndecimvm ſic proceditur. Videtur, ꝙ actus iuſtitię nõ ſit reddere unicuiq; qđ ſuũ eſt. *Aug. n. 14. de Trinit. attribuit iuſtitiæ ſubuenire miſeris: ſed in ſubueniendo miſeris, non tribuimus eis, quę ſunt eorum, ſed magis quę ſunt noſtra. ergo iuſtitię actus nõ eſt tribuere unicuiq; quod ſuũ eſt.

¶ 2 Pręt. †Tullius in lib. de Offic. dicit, quòd beneficentia, quã benignitatem, uel liberalitatem appellare licet, ad iuſtitiã pertinet: ſed liberalitatis eſt de proprio dare alicui, nõ de eo, quod eſt eius. ergo iuſtitiæ actus non eſt reddere unicuique quod ſuum eſt.

¶ 3 Præt. Ad iuſtitiam pertinet non ſolum res diſpẽſare debito modo, ſed etiam iniurioſas actiones prohibere, puta, homicidia, adulteria, & alia huiuſmodi: ſed reddere quod ſuum eſt, uidetur ſolum ad diſpẽſationem rerum pertinere. ergo non ſufficienter per hoc notificatur actus iuſtitię, qđ dicitur, Actus eius eſt reddere unicuique quod ſuum eſt.

Sed contra eſt, quod *Amb. dicit in 1. de Offic. Iuſtitia eſt, quę unicuique quod ſuum eſt tribuit, alienum non uendicat, utilitatem propriã negligit, ut communem ęquitatem cuſtodiat.

Respon. Dicendũ, ꝙ ſicut* dictũ eſt, materia iuſtitię eſt operatio exterior, ſ̃m quòd ipſa, uel res, qua per eam utimur, proportionatur alteri perſonæ, ad quam per iuſtitiam ordinamur. Hoc autẽ dicitur eẽ ſuũ uniuſcuiuſq; perſonæ, quod ei ſcđm proportionis ęqualitatem debetur: & ideo proprius actus iuſtitiæ nihil aliud eſt, q̃ reddere unicuique qđ ſuũ eſt.

Ad primvm ergo dicẽdũ, ꝙ iuſtitiæ, cũ ſit uirtus cardinalis, quędam aliæ uirtutes ſecundariæ adiunguntur, ſicut miſericordia, liberalitas, & alię huiuſmodi uirtutes, ut infra *patebit. Et ideo ſubuenire miſeris quod pertinet ad miſericordiã, ſiue ad pietatẽ: & liberaliter benefacere, quod pertinet ad liberalitatẽ per quandam reductionem attribuitur iuſtitiæ, ſicut principali uirtuti. Et per hoc patet rñſio ad Scđum.

Ad tertivm dicendum, quòd ſicut* Philoſo. dicit in 5. Ethi. Omne ſuperfluum in his, quę ad iuſtitiam pertinent, lucrum extenſo nomine uocatur: ſicut & omne quod minus eſt, uocatur damnum. Et hoc ideo, quia iuſtitia prius eſt exercita, & communis exercitatur in uoluntariis commutationibus rerum, puta, emptione & uenditione, in quibus proprie hæc nomina dicuntur: & exinde deriuantur hæc nomina ad omnia, circa quę poteſt eſſe iuſtitia. Et eadem ratio eſt de hoc, quòd eſt reddere unicuique quod ſuum eſt.

Articvlvs XII.

Vtrum iuſtitia præemineat inter omnes uirtutes morales.

Ad dvodecimvm ſic proceditur. Videtur, quòd iuſtitia non præemineat inter omnes uirtutes morales. Ad iuſtitiam. n. pertinet reddere alteri quod ſuum eſt: ad liberalitatem autem pertinet de proprio dare, quòd uirtuoſius eſt. ergo liberalitas eſt maior uirtus, quam iuſtitia.

¶ 2 Præt. Nihil ornatur, niſi per aliquid dignius ſe: ſed magnanimitas eſt ornamentum & iuſtitię, & omnium uirtutum, ut dicitur in quarto * Ethicorum: ergo magnanimitas eſt nobilior, quàm iuſtitia.

¶ 3 Præt. Virtus eſt circa difficile, & bonum, ut dicitur in 2. † Ethi. ſed fortitudo eſt magis circa difficilia, quàm iuſtitia, ideſt, circa pericula mortis, ut dicit in 3. †Ethic. ergo fortitudo eſt nobilior iuſtitia.

Sed contra eſt, qđ * Tullius dicit in 1. de Offic. In iuſtitia uirtutis ſplendor eſt maximus, ex qua boni uiri nominantur.

Respon. Dicendum, quòd ſi loquamur de iuſtitia legali, manifeſtum eſt ꝙ ipſa eſt præclarior inter omnes uirtutes morales, inquantum bonum cõmune p̃eminet bono ſingulari unius pſonę. Et ſecundum hoc* Philoſo. in 5. Ethi. dicit, ꝙ præclariſſima uirtutum uidetur eſſe iuſtitia, & neque eſt Heſperus, neque Lucifer ita admirabilis: ſed etiam ſi loquamur de iuſtitia particulari, pręcellit inter alias uirtutes morales duplici ratione, quarum prima poteſt ſumi ex parte ſubiecti, quia ſcilicet eſt in nobiliori parte animę, ideſt in appetitu rationali, ſcilicet in uoluntate, aliis uirtutibus moralib exiſtẽtibus in appetitu ſenſitiuo, ad quem pertinẽt paſſiones, quæ ſunt materia aliarum uirtutum moralium. Secũda ratio ſumitur ex parte obiecti. Nam aliæ uirtutes laudantur ſolum ſecundum bonum ipſius uirtuoſi. Iuſtitia autem laudatur, ſecũdum quod uirtuoſus ad aliũ bene ſe hẽt, & ſic iuſtitia quodãmodo eſt bonũ alterius, ut dr̃ in 5.* Eth. Et propter hoc Philoſ. dicit in 1. † Rhet. Neceſſe eſt maximas uirtutes eſſe eas, quæ ſunt aliis honeſtiſſimę: ſi quidem eſt uirtus potẽtia beneſactiua. Propter hoc & fortes, & iu-

¶ Super quæſt. quinquageſimaoctaua articulum duodecimum.

In articulo duodecimo omiſſo penultimo, dubium occurrit ad hominem, Quo pacto author hic ponat iuſtitiam nobiliſſimã inter virtutes morales: & tamen ſuperius in quæſtio. 30. articulo tertio, & quarto poſuit miſericordiam inter morales virtutes, & potiſſimam inter omnes virtutes, quæ ad proximum pertinet. Quomodo ſtant hæc duo ſimul?

¶ Ad hoc dicitur, quòd miſericordia poteſt ſumi dupliciter. Primò vt dicit paſſionem triſtitię de aliena miſeria ratione regulatam. Et ſic ponitur ab authore inter virtutes morales circa paſſiones, & eſt ſubiectiue in concupiſcibili, in qua eſt paſſio triſtitiæ: & ſic proculdubio eſt minus nobilis, quàm iuſtitia tam legalis, quàm particularis. Et legalis quidem pręſtat, ſicut vniuerſalis virtus reſpectu particularis. Nam ſicut lex præcipit, quę manſueti, & quæ temperati, ita etiam præcipit, quæ miſericordis ſunt: vnde hoſpitalia infantibus, & infirmis conſtituuntur. Particularis autem, quia in ſubiecto nobiliori eſt, & propter alia, quæ de ipſa contra liberalitatem afferuntur in litera in reſpõſione ad primum. Omnia enim locum habent in miſericordia ſic ſumpta, & ſimilis eſt de vtraque ratio. Secundo autem modo poteſt ſumi miſericordia, prout nominat actum appetitus intellectiui ratione regulatum, qua malum alterius odit efficaciter. ſ. volendo efficaciter illud ab eo auferre: & ſic miſericordia videtur pluſquam humana virtus, participatio ſcilicet proprietatis diuinæ. A Tullio tamen virtus appellatur in oratione pro Quinto Ligario, & ab authore ſuperius

poſita

Inf. q. 123. artic. 12. & q. 141. art. 8. Et 12. q. 66. art. 4. Et 3. diſt. 35. q. 1. ar. 3. q. 1. cor.

Li. 4. c. 3. ante med. to. 5

Li. 2. c. 3. circa fi. to. 5.

Li. 3. c. 1. & 2. ſimul to. 5

Li. 1 in c. de iuſtitia, circa prin.

Li. 5. c. 1. aliquãtulũ ante fi. to. 5.

Li. 5. c. 1. aliquãtulũ ante fi. to. 5.

Li. 1. Rhet. c. 9. paulo a prin. to. 6.